

Circulus ABA ad Quadratum CE , ut uigintiduo ad uiginti-
octo propinquè: quare ut un-
decim ad quatuordecim pro-
pinquè: quod fuit demōstran-
dum. Id autem est tantillo mi-
nus: quum ediuersò sit tantillo
plus quàm 223 ad 284. At ue-
rò $\frac{11}{14}$ superant $\frac{223}{284}$ duabus ter-
millesimis nongentesimis se-
ptuagesimis sextis ($\frac{2}{3976}$.)

Iam utraq; positio quomo-
do per Numeros constet, cla-
riùs explicare uisum est.

Diameter AB , ob id CD la-
tus, statuitur esse 7: & latus
 CH , 22. Itaq; Quadratum CE
est 49. Quumq; ACH Trian-
gulum, quod proximè est æ-
quale Circulo ABA , sit dimi-
diū Parallelogrammi quod
fit ex ductu AC in CH (id est,
ex $3\frac{1}{2}$ in 22:) erit ipsum ACH ,
 $38\frac{1}{2}$. Quapropter & Circulus
erit $38\frac{1}{2}$ propinquè. Erit itaq;
ipse Circulus ad Quadratū, ut
 $38\frac{1}{2}$ ad 49 propinquè, hoc est
ut $5\frac{1}{2}$ ad 7 (nam 7 cōmunis est
Diuisor:) ac demū sumpto u-
trinq; quadruplo, ut undecim
ad quatuordecim: quæ est The-
orematis sententia ad uerbum.

Altera uerò positio, quæ est
223 ad 284, sic explicabit. Ma-
nente superiori descriptione,
statuitur Diameter AB , eiq; æ-
quale latus CD , esse 71: ob idq;
 CH ipsi CD tripla superdecu-
partiens septuagesimas primas, & ipsi Peripheriæ æqualis, est
223. Eritq; Quadratum CE , 5041: Triangulum uerò ACH (ob
idq; Circulus ipse) quum sit dimidiū Parallelogrammi quod ex
223 in $35\frac{1}{2}$, erit 3958 $\frac{1}{4}$. Quapropter erit ipse Circulus ad Quadra-
tum, ut 3958 $\frac{1}{4}$ ad 5041: hoc est, ut $55\frac{113}{284}$ ad 71 (est enim 71 utriusq;
Diuisor):

